

Mr. Jacobs at Lisbon noted July 2. Stylo Vet.

The beginning of the *Eclipse* at 1. h. 30' exactly.
The ending at 4. h. 12'.

*Extract of the Minutes of the Dublin Society from
July 9th, to the 12. 1684.*

Mr. *Ash* and Mr *Molyneaux*, though the day being much overcast, hindered them from taking any thing accurately, yet gave some account of their *Observations* viz. that toward the middle of the *Eclipse* having a short view of the *Sun*; they judg'd that about 8. *Digis* were cover'd: at the ending also having a faint view thercof; they assigned its *end*, at 3. h. 56. p. m.

*Extract of a Letter of Mr. William Molyneaux S. P. S.
of Dublin dat. Sept. 2. 1684.*

The same *Eclipse* was observed by one Mr. *Osburn* nigh *Tredagh* in this Country Lat. 53° 40'. *Initium* 1. h. 37'. 30". *Finis* 3. h. 56'. 20".

Casp. Bartholini Thom. F. de Ductu Salivali bacillus non descripto, Observatio Anatomica.

EO jam perventum est in Anatomes studio, ut nec in Mayo, rum placitis tuto acquiescere. nec illa sola admittere possumus, quæ novo se commendant titulo, sed quærendum est potius prudens temperamentum, ut & hæc & illa commode jungamus, & ubique cavendum in primis, ne à natura ipsa recedamus. Quin & non hic subsistendum, ubi substiterunt ante nos alii, sed progrediendum ulterius, ut, quæ adhuc dubia sunt, illustrentur, quæ latent, detegantur. Habent enim plurima Veteres, quæ exponenda sunt, sed cum delectu invenerunt alia Recentiores, quæ his addenda sunt, sed cum judicio & circumspecke, restant adhuc plura, quæ nobis ulteriori studio investiganda veniunt.

Et, ut alia taceam, certe fontes salivæ & vasa illam ad cavitatem oris deducentia, non plane ignota fuisse videntur veteribus, licet saltem quasi per nebulam observata. Non tamen ideo sua laus detrahenda est Recentioribus, qui ulterius progressi, manifestius has glandulas descripserunt, & vafa salivalia.



valia ab illis prodeuntia in lucem protraxerunt. Sed nec illi inter recentiores, qui multa quidem hac in re egerunt, omnia peregrisse videbuntur. Antiqui Medici, *Galenus*, *Haly Abbas*, *Avicenna* & *Hancus*, qui quidem vasa salivæ nobis aliquo modo indigitasse videntur, obscura admodum illorum nobis reliquerunt vestigia. Descripserunt vero illa accuratius inter recentiores Anatomici *Celeberrimi Stenonius* & *Warthonus*, quorum insuper diligentiae & hoc nostrum jam addimus Spicilegium.

Glandulæ omnes, quæ oris cavitati salivam subministrant, & ejusdem generis vasa excretoria in os emittunt, numero vasorum distincta accuratissime proponuntur à *Stenonio* in Observationibus Anatomicis de Glandulis oris. Quædam enim unico duntaxat excretorio vase præditæ sunt, quædam pluribus. Illa vasa quæ numero plura, sed exigua, in oris cavitatem confluunt, propria sunt iis glandulis, quæ varie sparsæ reperiuntur in buccis, sub lingua, in palato & tonillis. Vasa vero majora, quæ à glandulis conglomeratis unico prodeunt canali, hactenus saltēm duo utrinque innotuerunt, quorum primum superius est a Parotide conglomerata ortum & à *Stenonio* inventum atque descriptum: secundum vero inferius, cuius primam delineationem *Warthoni* diligentiae debemus, quod à glandula maxillari inferiori provenit. Sed duobus illis hactenus descriptis vasis tertium, ejusdem plane generis, addi debet, jam primum, quantum quidem ego scio, à me descriptum & delineatum, quodque inferius etiam dici meretur, quippe a sublinguali glandula ortum, *Warthoni* ductum comitatur, & sub lingua codem quo Warthoniano, loco aperitur, ostio æque manifesto. Glandulam quidem, à qua tertium hoc vas originem repetit, describit *Stenonius* de Gland. Oris, & sublingualem nominat, sed illi immerito plura & angusta vasa excretoria tribuit, quæ huic glandulæ adjacentibus minutis aliis & ab ipsa revera distinctis glandularum glomeraminibus jure debentur, quia scilicet verum hoc sublingualis glandulæ vas excretorium nondum ipsi fuit perspectum. Est autem sublingualis hæc glandula, quæ tertium illum promit ductum, ex illarum genere, quæ conglomeratæ, recepta hactenus distinctione Sylviana, nominantur, sita utrinque ad latera linguae, & illi adjacent dispersæ nonnullæ glandulæ minutæ, quæ angusta illa excretoria, vasa obtinent, de quibus in sublingualium descriptione *Stenonius*, & quæ a sublinguali hac glandula oriri creditit, ubi ita: *Eiusdem generis cum proxime precedentibus sunt (sc. sublinguales glandulæ) nisi quid vasa excretoria obtinuerint, non quidem breviora, sed angustiora. Oriuntur intra ipsam exiguis rivulis, & hinc sibi invicem parallela, à lingua verius gingivas recedunt, ubi ad digiti fore à dentibus distantiam, vix conficiuntur, nisi premantur, ostiis, per tunicam hiant.*

biant. Nullæ ostiis, nisi ad aliquod intervallum, protuberantia adjunt, sed, ut in buccæ vasis dictum, ubicunque vascula prædicta tunica penetrant, ibi equalis est & plana. Recte quidem hic describuntur illi ductus, qui à parvulis glandulis ad latera sublingualium sitis oriuntur; at habet ipsa sublingualis glandula peculiarem alium Ductum, nondum descriptum sed mihi primo observatum Anno 162. d. 13. Martii. Etenim cum in capite Vitulino extremitate styli inquirerem & prosequerer ductum à glandula maxillari inferiori progredientem, à *Warthonio* descriptum, forte in aliud ductum adactus stylus aperuit ea, quæ mihi ante ignota erant. Credideram enim eundem ductum me ad Warthonianam glandulam perdueturum, & ecce eo loco, circa medium scilicet linguæ longitudinem, ubi *Warthonius* ductum suum salivalem à linguæ lateribus, nimirum in inferiore ejus parte, cute & pinguedine glandulosa tegi dicit. ferebatur hic ductus ad aliam glandulam e conglomeratarum genere, quæ proxime accumbit iis glandulis, à quibus oriuntur ductus illi salivales, qui sublingualium nomine describuntur à *Sennonio*. Etenim illa glandula (quæ in nonnullis animalibus glandulæ maxillari inferiori proprius adjacet, & majuscula est; in aliis vero minor & magis versus extremitatem maxillæ inferioris sita) uti ejusdem plane structuræ est, ac maxillaris illa Warthoniana inferior, ita etiam simile plane vas excretorium habet, satis conspicuum, cuius ductus laterales ab omnibus glandulæ glomeraminibus orti, in medio communem & satis capacem truncum habent, qui ductu recto comitatur illum alterum à *Warthonio* descriptum & intra gingivas in maxillæ inferioris extremitate, inter papillas quoddam compressas & rigidas, maxillæ pertinaciter adhærentes, in os aperitur.

Talis primo mihi tunc temporis obtulit se Ductus ille cum sua glandula in Vitulini capitis examine. Cujus rei testes Amplissimos advocare possum Celeberrimos facultatis nostræ Medicos & Collegas meos D. D. *Olaum Borrichium* & D. *Oligerum Jacobæum*, quorum judicio inventum hunc peculiarem ductum statim subjeci. Confirmata deinde sèpius est hæc observatio in aliis animalibus. In ove, in ipsis illis papillis, sub lingua in inferiori maxilla conspicuis, terminatur extremitas hujus ductus, juxta quam etiam simili modo in eadem papilla hiat ostium ductus Warthoniani. In Urso utrinque prope linguæ froenulum suâ cujuslibet ductus ostium papillæ eminet. In Leæna, quam nuper indulgentia Augustissimi Regis nostri Theatro Anatomico concessam habuimus, itidem ad linguæ froenulum exeunt quidem utriusque ductus ostia, sed ita ut sibi quasi peculiare quoddam froenulum habeant à tunica oris interiori efformatum. Ipsa autem glandula cui originem debet ductus noster, in principe hoc Animalium, ma-

ior est & oblongiuscula, atque altera sui parte pertingens usque ad glandulam Warthonianam, atque uti variis constat glandularum glomeraminibus, ita ex iis provenientes variae ramifications emittuntur ad communem ductum, qui ex minoribus aliis extra glandulam coalescit, & recto tramite Warthonianum ad exitum comitatur. Similem etiam distributionem & exitum eorundem vasorum, atque eodem fere modo sitas & confirmatas glandulas nuper deprehendimus in lynce. Et ut singula fiant illustriora, cum plures alias possemus, addimus saltet in fine hujus observationis, figuras ex Anatomie Leænæ desumptas, progressum atque exitum Ductus hujus indicantes.

An alii similia ante me observaverint, ignorare cogor, cum nihil unquam hac de re ab ullo Anatomicorum scriptum meminerim hactenus; Nec tale quid unquam de duplice ductu salivali interiori à distinctis glandulis oriundo, & distinctis ostiis in oris cavitatem aperto, legerim apud Recentiores. Nam *Warthonum* hoc trahere invitum nequaquam possumus, qui Tractat. de Glandulis Cap. XXI, de Maxillaribus, ubi inferiorem glandulam una cum ductu Salivali descripsit, adjicit: *In Equo circa medianam linguae longitudinem utrinque altæ glandulae conspicue in ductum Salivalem se exonerantes occurunt, de quibus forsan uberius dicetur postbac, cum earum varietates in ceteris animalibus examinatae fuerint.* Observavit quidem, ut videtur, in unico hoc capite Equino glandulam illam sublingualem à qua oritur hic ductus; sed nunquam duplicem canalem salivæ dicatum & à distincta glandula oriundum agnovit, qui simplicis saltet ductus inferioris mentionem ubique facit. Nec sene ex veteribus accuratam Ductuum salivalium notitiam haurire possumus, licet reperiantur inter Antiquos Medicos nonnulli, qui obscurum aliquod illorum nobis dedisse videntur indicium. Et Galenus quidem Lib. XI. de Usu Part. Cap. X. generaliter saltet loquitur de meatibus, qui ex glandulis linguae per obliquas partes atque inferiores humorem pituitos in ipsam eructant, linguam ipsam atque inferiora, lateraque & omnia que in oris sunt circuitu humectantes. Distinctius Avicenna non solum glandulas & ductus, sed & vasorum ostia indicat sub lingua, Can. 3. Lib. fen. 6. tr. 1. c. 1. ubi ita ex versione Gerard. Cremonensis: *Sub ea [Lingua] sunt duo ostia, que ambo ingreditur filius, & sunt fontes salivæ, que ad carnem pervenient glandulosam que est in radice ejus, & nominantur generativæ saltuæ. Et ipsi duo fontes nominantur hauritoræ salivæ conservantes vocem linguæ.* Nec aliter Isaac Medicus filius adoptivus Salomonis Regis Arabiæ, Lib. III. Theor. Cap. XVII. *In ligamentorum lateribus quedam venæ sunt, que salivam semper linguae subministrant, hæ ab initio linguae incipiunt in modum arteriarum, à quibus emanat humectatio phlegmatica que vocatur saliva. Iste a Medicis vocantur habitatio salivarum.*

Initium linguae unde exirent hæ venæ, caro est glandulosa atque alba, ipsius salivæ generativa, quæ adjuvat cum salivam ab illis venis recipiat, unde bume. Lat linguam atque buccam. In eundem modum Haly abbæ Lib. 3. Theor. Cap. 16. de Lingua: Ab horum lateribus ligamentorum ora venarum sunt, a quibus saliva decurrit, earumque a linguae radicibus principium in arteriarum figura, per quas humilitas decurrit phlegmatica quæ saliva vocatur, Dicunturque ora earum venarum saliva habitacula. Est autem in radice lingue, loco quo hæ oriuntur vene, glandulosa caro, alba, quæ generatrix dicitur saliva. Ejusque ist utilitas ut humiditatem suscipiat phlegmaticam, quæ ad eam ab illis egreditur venis, quas habitacula saliva diximus. Qui penitus hæc verba Antiquorum Medicorum excusserit, deprehendet fortasse aliquod apud illos vestigium Ductuum Salivalium, qui jam demum à Recentioribus ad lucem novam revocati sunt. Erit ergo Antiquitati hæc reverentia, quod & veteres aliquid in hoc foro viderint, licet nec distinctum, nec accuratum, sed faltem ad cognitionem Anatomicam illorum temporum accommodatum. Recentioribus vero non ideo minor relinquetur gloria, quod illas Veterum observationes reddiderint accuratiores, & hæc vasa salivalia, licet à Majoribus obiter indicata, tamen hactenus plaine ignota, in medium protraxerint, & eorum veram notitiam orbi restituerint. Mihi certe, qui nec Antiquos hac in parte ante inventionem Ductus jam descripti consului, nec à Recentioribus ullam accepi lucem in ejusdem investigatione, sufficit Naturam ut in se est hic aperiisse, quam scio omnibus patere, licet non omnes eandem pari vel sagacitate follicent, vel felicitate scrutentur, cum interdum illa etiam circumspec-tiorum follicitissimas effugiant curas, quæ forte obvia se si-stunt nihil minus cogitanti.

Atque ita nova accessione jam auctus est numerus ductuum Salivalium; & glandularum Sublingualium usus hoc excretorio vase illiusq[ue] redditus. Et certe illa quæ de Pancreatis ductu ejusque succo Recentiorum diligentia invenit, viam aperuerunt reliquarum glandularum & vasorum inveniendis & usui agnoscendo. Nec enim amplius habenda est Glandula, ubique in corpore nostro reperiunda, pro parte corporis vel otiosa, vel superfluis humoribus destinata, sed potius quasi pro cribro quodam secernente a sanguine humorem conservationi Individui maxime necessarium. Nimirum cum per arterias ad singulas corporis partes deferatur sanguis, &, antequam per vasorum capillaria venarum ab iisdem redeat, varias in nonnullis partibus deponat particulas, quæ per vasorum peculia-ria (excretoria communiter dicta Anatomicis) excluduntur, proprie cribri nomen meretur illa circumfusa materia, quæ inter capillaria vasorum arteriarum & extrema oculorum excretoriorum intermedia est, quæque efficit, ut transitus fiat

non totius sanguineæ massæ, sed quarundam saltem ex ea se-cretarum partium, diciturque alias parenchyma, astusio, vel Caro viscerum. Ita in sanguine post divertorum humorum in se mutuam actionem diversi generis particulæ, à tota massa separatae, in singulis cribris sibi convenientes meatus inveniunt. Et qui bene hanc generalem cribri descriptionem animo comprehendit, simul intelliget viscerum omnium, quæ vase excretorio prædicta sunt, conformatiōnem. Talia autē sunt illa viscera, quæ vulgo Glandulæ vocantur, quæque recepta hactenus distinctione dividi solent, ratione conformatiōnis, in Conglobatas & Conglomeratas.

Conglobatae glandulæ illæ dicuntur, quæ æqualem habent superficiem, ex una quasi sibi continuata substantia conditæ, & quæ excretoria habent ejus generis Lymphatica vasa, quæ à b. m. Parente meo quondam inventa & descripta sunt. Illorum autem lymphaticorum per glandulas has congregatas talis observatur distributio. Quædam à primis suis fontibus in glandularum superficiem sparguntur, quædam à concava parte unius glandulae in alterius convexam partem pergunt, quedam iterum ab earundem glandularum parte concava ad locum insertionis in venam cavam exporriguntur, idque vel immediate, vel per intermedium Thoracicū ductum. Ita omnia hæc lymphatica, quæ à sanguine secretum in glandulis congregatis humorem excernunt, eundem in sanguinem iterum, facto quasi circulo, reducunt. Reperiuntur tales glandulæ in mesenterio inter vasa excipientia chylum ab intestinis. & Receptaculi lumbaris radices circa venam portam; inter lymphatica hepatis & ejusdem Receptaculi radices; in lumbis, inguinibus, circa pulmones, in maxilis, in collo, supra fauces; sub alis, in omento alibique. Memini me quondam in Nosocomio Florentino in foeminino cadavere glandulas duas congregatas cum suis lymphaticis insignis atque notabilis magnitudinis inter cutem & musculos abdominis in ilio sinistro in pinguedine reperisse. In alio hydropicæ cadavere, ibidem à me aperto, abdominis cavitas aqua copiosa repleta erat, glandulæ vero omnes, quæ ubique latitantes præter solitum multiplicatae mihi videbantur, schirrosæ & materia purulenta retortæ. Mirari subiit insolitum glandularum numerum & magnitudinem præternaturalem. Et quod ad hanc attinet, illam materiæ contentæ, in hoc affectu ita glandulas distendenti, attribui. De insolito vero glandularum numero dubium habui, an illæ in corpore glandulæ, non ibi ante existentes, novæ procreentur, an vero antea parvæ solum & quasi miliares latentes, ita interdum augeantur, ut oculis clarius paterent, quemadmodum de mammarum glandulis certum est, quæ in omnibus dantur, sed in aliis conspectiores sunt. Certe

Certe conglobatarum vera notitia non parum infervit affectui difficulti explicando, nimirum scrophulis, & iis quæ circa scrophulas obliuantur. Non raro enim videre contingit ingentes sacculos intra conglobatas glandulas contentos, plenos materia vel flavescente vel gypsea; adeoque facile agnoscitur crassiores lymphæ partes, dum per glandulas cibrantur, nec transitum patentem inveniunt, sensim ibi collectas sacculos formare. Quod vero dicunt de consensu glandularum colli & mesenterii, dum ut plurimum existentibus in collo scrophulis similes etiam in mesenterio reperiuntur, non sit per communicationem quandam immediatam inter collum & mesenterium, aut per occultas sympathias; sed idem sanguis in omnibus ejusdem naturæ glandulis ejusdem generis contenta deponit. Unde sequitur, quod materia existente pauca, vel una tantum afficiatur glandula, vel multæ simul, sed obscure: materia autem existente copiosa, plures simul glandulæ eadem repleantur; atque mutata deinde sanguinis natura per liquores resolventes, resoluta in glandulis dicta materia, humores evanescant.

Conglomeratae glandulæ ex variis quasi partibus & minoribus glandulis, cum aliqua superficie inæqualitate, constantes, sola lymphatica evehentia habent, sed alterius plane generis ac priora illa, quippe quæ in peculiares cavitates liquorēm, à sanguine in glandulis secretum, immediate deponunt; ut salivales in oris cavitatem, & pancreaticæ in intestinum duodenum. Atque hujus generis glandulæ omnes, quarum saltem vasa excretoria hæc tenus nota sunt, suppeditant humorem, quo mediante assumptorum prima resolutio instituitur. Unde in ore præcipue & per totum ductum viæ alimentorum tales glandulæ vel parvulæ varie sparsæ, vel in corpora insignia coagmentatae reperiuntur. Et si quæ videantur extra canalem alimentorum sitæ, ut glandulæ oculorum & narium, tamen ubi illarum humor palpebras inanxerit & in nares delapsus (per vasa dicta olim puræ lachrymalia) cum narium humore particularum odoriferarum perceptioni servierit, in canalem alimentorum (per viam à naribus

ribus in os patentem) tandem derivatur, quo etiam ex naribus effluens humor deducitur.

Ipsam glandularum structuram si attingamus, utique multa nobis imponere specie carnis, communiter ita dictæ, deprehendemus, quæ revera sunt vasa excretoria, uti contingit in Renibus, monente *Malpighio*. Etenim quemadmodum in Renibus peculiaris illius substantiæ, quam pro carne habuerunt antiqui, maxima pars constat ex minutis canaliculis & meatibus, per quos urina in pelvem affluit, & quibus circumpositum est verum cibrum glandulosum pro secerenda urina; Ita etiam magna pars illius substantiæ, quam quasi peculiarem carnem vel parenchyma in glandulis consideramus, componitur ex variis tubulorum glomeraminibus & vasis excretoriis lymphaticis, nervis, vasis sanguineis, addo & fibris carneis, quibus non solum investiuntur glandulæ, sed & eas substantiæ suæ intertextas habent. Atque ex hoc interioris glandularum structuræ examine patet vehementer eos falli, qui in partium descriptione saltem de externa figura solliciti sunt, nec satis attendunt ad minimam & intimam illam partium structuram, per quam omnes in corpore nostro Natura exercet operationes.

Explicatio Figurarum ex Anatome Leænæ.

P R I M A F I G U R A exprimit glandulam maxillarem inferiorem A, cum ductu salivali Warthoniano B, B, simulque vicinam glandulam sublingualem C, cum ductu suo salivali D, jam primum a nobis descripto, cuius variae ramifications per totam glandulam dispersæ conspicuntur.

S E C U N D A F I G U R A indicat duo utrinque ostia ductuum salivalium inferiorum. Warthoniani nempe & nostri, quorum locum sub lingua designant extremitates filorum a a a a, per dicta ostia excurrentia sub lingua b, quæ hic paulisper revulsa cernitur a maxilla inferiori c, ut singula rectius pateant.

Philosoph. Transact. Numb. 167.





Fig. 1.

B

Fig. 2.



b

c

a

a

a